MOTVS PROPRIVS
S. D. N.
CLEMENTIS PP. VIII.

Quo declarat Carmelitas Diſcalceatos, vnum eſſe ex quatuor Ordinibus Mendicantibus,

Et contradicentes declarationi excommunicat.





ROMAE, Apud Impreſſores Camerales. M. D. CIII.

CLEMENS
PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROMANVM Pontificem decet pacem, & vnitatem, maximè inter Dei ministros, omni solicitudine tueri. Quamobrem ægrè tulimus eos, quorum est euangelizare pacem & bona, & quibus à Domino sæpè iubetur pacem & vnitatem diligere, veritatem apertissimam perperam & sine fundamento impugnando, pacem, non absq; scandalo pu-
1 sillorum, scindere. * Ad aures enim nostras peruenit, nonnullos Religiosos in partibus Indiarum, non obstantibus habitu, regula, professione, ac titulo à Summis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & Nobis, ac etiam ab vniuerso populo Christiano vbiq; dari solito dilectis filijs Reformatis Discalceatis Ordinis Beatissimæ Virginis MARIAE de Monte Carmelo, ausu temerario contendere, illos Carmelitas non esse, neq; vnum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus. Nos qui Iustitiam, & veritatem colere tenemur, huius rei, licèt adeò esset manifesta, maiorem certitudinem, habita in nostra Congregatione super Reformatione, & visitatione Regularium constituta, matura deliberatione, nostra declara-
2 tione patefacere deliberauimus. * Quocirca Motuproprio, & ex certa scientia nostra, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, Ordinem & Congregationem dilectorum filiorum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Beatissimæ Virginis MARIAE de Monte Carmelo, vnum esse ex quatuor Or-

dinibus Mendicantibus, ordinem ſcilicet Carmelitarum, cu-
3 ius religioſi ſtrictius regulam à bo. me. Alberto * Patriar-
cha Hieroſolymitano habitantibus in Monte Carmelo tradi-
4 tam, & à fe. re. Innocentio * Papa III. Prædeceſſore no-
5 ſtro confirmatam profitentur, & obſeruant; ipſiſq; * omnia
ad prædictum Ordinem tàm de Iure, quàm ex priuilegijs at-
tinentia tanquàm propria competere, auctoritate Apoſtolica
6 tenore præſentium declaramus, * cui declarationi noſtræ ſi
quis contradicere præſumpſerit illum anathematis vinculo
innodamus. * Et licet dicti Religioſi, vt accepimus, Euan-
7 gelicæ humilitatis æmulatores, conſilium Dominicum ſectã-
tes, infimum locum tàm in proceſſionibus, quàm Congrega-
tionibus, & alijs quibuſcũq; euentibus elegerint, & eligãt;
8 Nos * tamen qui Domini vices gerentes in terris omnium
Iura tueri tenemur, ipſos nullo modo decurſu temporis, aut
alio præſcriptionis modo, locum & præeminentiam, aut aliã
prærogatiuam Ordini Carmelitarum competentem perdere
in toto, nec in parte, neq; vnquam in dubium reuocari, ita
9 vt quoties, * quæ per humilitatem prætermittunt, ob iuſti-
tiæ ordinem repetere voluerint, propria auctoritate poſſint,
& valeant, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò ſtatui-
10 mus, volumus, & ordinamus. * Præterea illos licet ob ædi-
ficationem fidelium, maximè nouiter ad fidem venientium,
propriæ quieti cedentes, ad proceſſiones tàm priuatas, quàm
generales exierint, vel exeant, cum in ſtrictiori clauſula per-
petuò iuxta regulam, quam profitentur, degant, ad proceſſio-
11 nes generales compelli nunquàm poſſe. * Sicq; per quoſ-
cũq; Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam Palatij Apoſto-
lici Auditores ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iu-
dicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, &
definiri debere: ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his
à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter conti-
12 gerit attentari, decernimus. * Quocirca Venerabili fratri
Archiepiſcopo Mexicañ. necnon dilectis filijs Decano, &
Archi-

Archidiacono Ecclesiæ Mexicañ. per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcũq; vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Religiosorum fuerint requisiti, solenniter publicantes, illisq́; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos præmissorum omnium & singulorum effectu pacificè frui & gaudere; Non permittentes eos desuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet
13 indebitè molestari: * Contradictores quoscũq; per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaq́; opportuna Iuris, & facti remedia appellatione postposita compesceñ inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstañ fe: re: Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri de vna, & in concilio generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad Iudicium non trahatur, alijsq́; constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac eiusdem ordinis etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, eiusq́; Superioribus, Religiosis, & quibusuis alijs personis sub quibuscũq; tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq́; efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritañ & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approba-
14 tis. * Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisq́; contrarijs quibuscũq;. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Mar-

cum

cum sub Annulo Piscatoris die xx. Augusti M.DCIII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

M. Vestrius Barbianus.

Loco † Annuli Piscatoris.

Summarium Priuilegij.

1 *TItulus Carmelitarum à Summis Pontificibus nobis tribui solitus.*

2 *Motu proprio declaratur Ordinem nostram vnum esse ex quatuor Mendicantibus.*

3 *Ordinem nostrum regulam Alb. Patriarcha Hierosolym. obseruare asserit Sum. P.*

4 *Innocentium Papă IIII. regulam nostram confirmasse, ait Sum. P.*

5 *Omnia, quæ ex iure, seu priuilegijs toti Ordini Carmelitarum conceduntur, nobis competere statuitur.*

6 *Excommunicatur, qui huic declarationi Pontificiæ contradixerit.*

7 *Humilitatis studio postremum locum in supplicationibus, & alijs actibus eligunt fratres nostri.*

8 *Nullo temporis decursu, vel præscriptione antiquitatis ius amittunt fratres nostri.*

9 *Licèt postremi sedere vbiq; contendant fratres nostri, locum tamen antiquitati suæ congruentem repetere, vbi voluerint, propria auctoritate possunt.*

10 *Tametsi ad processiones è claustris prodire fratres nostri, vbi æquum eis videbitur, possint: compelli tamen nunquàm possunt ad processiones generales exire.*

11 *Prohibentur quicumq; Iudices &c. literas has aliter interpretari &c.*

12 *Archiepiscopus, Decanus, & Archidiaconus Mexican. vbi requisiti fuerint, iubentur, literas has publicare, ac iura nostra tueri.*

13 *Coercendi censuris, & alijs pœnis, appellatione postposita, qui his literis contradixerint.*

14 *Derogatur omnibus priuilegijs, & alijs omnibus, quæ possent obstare.*